

data fide; ergo; tum quia ipsum Jus minatur poenam injuste resilienti, ut patet ex c. *Ex litteris*. 10. de spons. *Confirm.* ex *Novel.* 18. *Leon.* Imper. Quod similis poena invalide adjiciatur, si per conventionem solvi deberet a *juste* resiliente, satis clare patet ex c. *Gemma* 29. h. t.

1133. IX. Juxta *Laym.* L. 5. t. 10, c. 1. n. 4., *Palaum* de spons. d. 1. punct. 8. n. 2. judex Ecclesiasticus a sponsalibus sine justa causa resilire volentem altera parte invita primo moneat, ut promissis satisfaciatur; si adhuc obsistat, eum poenis intentatis cogere potest. Imo etiam debet, nisi ex invitis nuptiis mali eventus timeantur, ut habetur in cit. c. *Ex litteris* 10. de spons. *Si monitis non acquieverit, Ecclesiastica censura compellas, ut ipsam, nisi causa rationabilis obstiterit, in uxorem accipiat.* Satis autem rationabilis causa plerumque assignatur in c. *Requisivit.* 17. eod. tit. quia *coactiones difficiles solent frequenter exitum habere.* Ideoque (ut vult *Palao* l. c. n. 3.) si judex advertat, nihil profuturam excommunicationem aliamve poenam, potius ab illa imponenda absteat; si ea imposita sponsum videat adhuc pertinacem, ab ea illum absolvat.

1134. X. Sponsalia clandestina, h. e. sine Parocho et testibus contracta valida, et per se loquendo licita sunt. *Ratio* est, quia a nullo Jure irritata vel prohibita reperiuntur. *Per accidens* in variis locis illicita sunt ob specialem prohibitionem, ideoque contrahenda sunt juxta statuta dioecisana. Vide *P. Pichler* de spons. n. 24.

1135. XI. Sponsalibus licet adicere *conditionem* (quae exprimitur per particulam *si* in contractu); aut *modum*, qui exprimi solet per *modo* ut; aut *diem*; quia haec adicere nullo Jure prohibitum est. Et L. *In transactionibus.* ff. de Pact. *Quisque rei suae modum ponere potest.* De his observantia sequentia. 1. Sponsalia inita sub conditione de praeterito vel praesenti aequivalent absolutis, si tunc impleta sit conditio, v. g. si dicas: *Ego tibi promitto matrimonium, si sis catholica:* eo ipso sunt absoluta sponsalia, quod sit catholica puella.

2. Si promissio sit de futuro contingenti, v. g. *si pater consensurus* sit, suspenditur obligatio sponsalitia, donec pater consentiat, cujus consensu posito absque novo consensu contrahentium sponsalia conditionata transeunt in absoluta, et absoluta oritur obligatio per §. 6. Institut. de V. O. Ex hisce sponsalibus conditionatis ante impletam conditionem non inducitur impedimentum publicae honestatis, ut patet ex c. unic. de sponsal. in 6., ubi hoc impedimentum adscribitur illi, qui *pure ac determinate* cum una contraxit.

1136. 3. Sponsalia conditionata de futuro licet suspensam inducant obligationem matrimonium actu ineundi, obligant tamen ante impletam conditionem, ut uterque sponsus bona fide expectet eventum conditionis, *si sit possibilis et honesta:* nam ad hoc tacite se obligant, qui contrahunt sub conditione. Unde eruitur *primo*, quod neuter pro libitu possit resilire a sponsalibus; *secundo*, quod irrita sint alia sponsalia, quae durante conditione contrahuntur, v. g. *Onocrotalus contrahit sponsalia cum Afra, si centum aureos in dotem datura sit: postea sub eadem conditione contrahit cum Barbara, quae statim offert centum aureos.* Haec postrema sponsalia nulla sunt, utpote facta contra fidem priorum. *Sporer* hic n. 211. cum *Coninck, Laym.* contra *Sanck.*

1137. 4. Eruitur, quod sponsus, qui malitiose impedit, quominus conditio impleatur, maneat adhuc obligatus servare fidem conditione non impleta; v. g. *Orestes sincere promittit matrimonium Alexandrae, si pater consentiat, paulo post mendaciis ac fraudibus patri persuadet, ne consentiat.* In hoc casu Orestes non est liber a sponsalibus, tum quia omnis

sincere contrahens censetur se obligare, ne tam malitiose agat, tum quia alias non reliquisset patri libertatem consentiendi, a qua tamen ambo contrahentes voluerunt dependere obligationem suam. *Confirm.* ex Reg. Juris 161. ff. de R. J.: *In J. Civili receptum est: quoties per eum, cujus interest, conditionem non impleri, fiat, quominus impleatur, perinde haberi, ac si impleta conditio fuerit;* scil. perinde respectu impediens impletionem. Sponsa tamen impediens sciens posset resilire, quia sponsus malitiose impediens conditionis eventum hoc ipso fidem fregit, et sponsalibus renuntiavit. Ita *Sporer* hic n. 210. cum *Gobat* de spons. n. 273.

1138. Q. An valeant sponsalia contracta sub conditione turpi aut impossibili, v. g. *Promitto tibi matrimonium, si velis per fornicationem mihi 10. flor. lucrari:* vel, *si tuus nasus cras tribus ulnis longior fuerit, quam hodie?* R. cum *Palao* de spons. d. 1. punct. 16. n. 4., *Gobat, Sporer,* conditio impossibilis irritat contractum, turpis vero illum suspendit, donec conditio impleatur, ita quidem ut rescindendus sit contractus ante eventum conditionis, post completam autem conditionem etsi cum peccato, oriatur obligatio ad contrahendum matrimonium. *Ratio* est, quia omnes alii contractus initi sub conditione impossibili sunt irriti, sub conditione turpi suspensi, idque jure communi: ergo cum hoc jus correctum non sit in sponsalibus, sed in matrimonio, standum est pro sponsalibus, sicut pro aliis contractibus. Non pauci tamen cum *Sanck.* L. 5. disp. 17. n. 2. probabiliter tenent, quod ejusmodi sponsalia valeant, et conditiones de impossibili vel turpi habeantur pro non adjectis, sicut in matrimonio, juxta c. *fin. de conditionibus appositis.* Verum cum multa statuta sint in specialem favorem matrimonii, ut de clandestinitate, aetate, indissolubilitate etc. quae non pertinent ad sponsalia, etiam hoc speciale eo extendendum non esse videtur.

## ARTICULUS II. De Dissolutione Sponsalium.

### §. 1. Praenotanda.

1139. Hucusque de sponsalibus validis et invalidis egimus. Inquirendum nunc est, an et quomodo sponsalia valide contracta iterum possint dissolvi, ita ut cesset obligatio illorum. Praecipue ex dictis notandum est, quod sponsalia priora non solvantur per posteriora contra fidem priorum inita, sed posteriora sunt invalida et nulla, etiamsi haec essent absolute inita, aut jurata, aut cum fornicatione aut impraegnatione, priora vero conditionata tantum. *Ratio* est, quia sunt de re illicita et contra jus acquisitum primae sponsae vel sponsi. Neque juramentum potest firmare contractum de se nullum, neque potest esse vinculum iniquitatis juxta c. 18. de *Jurejur.* Hinc sponsalia secunda in tali casu etiam post se non trahunt impedimentum publicae honestatis, quia invalida sunt.

### §. II. Principia generalia de dissolutione sponsalium.

1140. *Principium* I. Sponsalia puberum licite et valide dissolvuntur *mutuo et libero utriusque consensu,* etiamsi juramento fuissent firmata, aut copula carnalis accessisset. *Ratio* est, quia omnis contractus ex natura sua solubilis (qualis est sponsalitus, non vero matrimonialis) sicut ex mutuo contrahentium consensu nascitur, ita per eundem dissolvitur, juxta notissimam regulam primam J. in quinto L. Decret. tit. 41. *Omnis res, per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur:* et juxta Regulam 35. *Juris Civilis,* ff. de R. J. *Nihil tam naturale est, quam*



eo genere quidque dissolvere, quo colligatum est: ideo verborum obligatio verbis tollitur, nudi consensus obligatio contrario consensu dissolvitur.

Dixi primo, *Sponsalia puberum*; nam sponsalia impuberum ante completam pubertatem (h. e. in masculis ante completum decimumquartum, in foemellis vero ante duodecimum aetatis annum juxta c. *Attestationes*, de despons. impub.) non possunt dissolvi mutuo consensu sine dispensatione, juxta c. *Litteras.*, c. *Accesserit.*, c. *Continebatur.* de despons. impub., ne scil. aetas illa ob inconstantiam exponatur nimis mutationibus, ut ait *Sanch.* Completa vero impubertate ordinarie conceduntur illis proximi tres dies, intra quos alter ab altero etiam invito resilire potest juxta c. *De illis* de spons. Si tamen impuberes pubertati propinqui sponsalia sua juramento aut copula carnali firmarint, dissolvi non possunt, nisi mutuo consensu ex c. *Ex litteris*, ex c. *A nobis* de spons. *Laym.* l. 5. t. 10. c. 1. n. 17.

1141. Advertendum hic, quod, si impuberes contrahant sponsalia de praesenti, sive matrimonium ratum, hoc quidem erit nullum, valebit tamen in vim sive rationem sponsalium, ut patet ex c. fin. de despons. impub., et c. un. eod. tit. in 6. Si vero ante pubertatem contrahant matrimonium de praesenti, et malitia ac potentia generandi suppleat aetatem, matrimonium est validum, juxta c. 9. et fin. de despons. impub. ex supposito, quod non sit clandestinum matrimonium. Denique si pubes cum impubere contraxerit, neque ante, neque post hujus pubertatem resilire potest, nisi alter quoque pubes factus dissolutioni consentiat, quia pubes nihil de privilegio impuberum ex ulla lege participat. *Sporer* hic n. 197.

Dixi secundo, *Etsi juramento fuissent firmata*, quia sublato contractu velut principali cessat juramentum tanquam accessorium, et juramentum sequitur naturam actus, cui adjungitur. Ita multi cum *Pontio* contra *Sanch.*

Dixi tertio, *Etsi copula carnalis accessisset*, quia copula per se nullam addit vim sponsalibus: damnum tamen si illatum sit, aliter compensari debet. Vide *Pignatellum* t. 9. Consult. 134. ubi refert, S. Congregat. declarasse, mutuo consensu dissolvi sponsalia, quamvis per copulam carnalem essent confirmata. *Kugler* de spons. p. 3. n. 6.

1142. Dixi etiam, *mutuo et libero consensu*: dissolutio enim valida non erit, nisi consensus ex utraque parte sit liber a fraude, dolo, et metu gravi injuste incusso; quia remissio hujus et cujusvis juris est quaedam species donationis, quae debet esse libera. Hinc recte infert *Reiffenst.* h. l. n. 207. cum *Sanch.* et *Palao*, illum minime tutum esse in conscientia, qui a sponsa, incusso magno metu, consensum extorquet; si per mendacia illam decipiat, se hoc vel illo morbo laborare etc.

1143. Porro hic notandum, quod ad dissolvenda mutuo et libero consensu sponsalia de jure quidem non requiratur auctoritas judicis; ubi tamen in aliqua Dioecesi expresse prohibetur, ne sponsalia praesertim publica, sive coram paroco contracta, aut etiam secreto inita, sed postea evulgata, dissolvantur, nisi causa prius per Episcopum cognita, etiam standum est loci consuetudini, aut Episcopi prohibitioni. Seclusa vero tali prohibitione manet regula communis assignata c. *Praeterea* 2. de sponsal. et matrim., ubi ita habetur de sponsis, qui sponsalia legitima et absoluta inierunt: *Si autem ad invicem admittere noluerint, ne forte deterius inde contingat, ut talem scil. ducat, quam odio habet, videtur, quod ad instar eorum, qui societatem interpositione fidei contrahunt, et postea eandem sibi remittunt, hoc possit in patientia tolerari.*

1144. *Princip.* II. Quando una pars resilire attentat, et adhuc dubitatur de sufficientia causae ad resiliendum, ad Episcopum spectat, rem dijudicare, et sententiam ferre, an obligent sponsalia, vel an sint dissolvenda; quia urget probabile periculum injustitiae, ne inique alter in dubio spoliatur jure sibi acquisito. Ita *Comm.* cum *Sanch.* Addit *Sporer* hic. n. 230. cum *Henricx*, manente dubio post inquisitionem nec per sententiam judicis, nec propria auctoritate unius e sponsis posse fieri validorum sponsalium dissolutionem; quia hoc casu non subesset justa causa dissolvendi, fieretque parti possidenti jus certum ex sponsalibus certo validis injuria.

1145. *Principium* III. Praeter mutuam et liberum consensum ex parte sponsorum causa sufficiens ad dissolvenda sponsalia est recessus unius a fide data. Videlicet quando unus sponsorum vel juste vel injuste et cum peccato resilit, alter quoque, *si velit*, poterit juste resilire; si vero nolit, pars altera injuste resiliens adhuc obligatur ad fidem servandam. *Ratio* primi est, quia si una pars juste resiliat, hoc ipso tribuit alteri parti potestatem resiliendi, et liberat ab obligatione nubendi. Si vero injuste, manet illud tritum: *Frangenti fidem fides frangatur eidem.* *Ratio* secundi est, quia *nemo ex delicto suo meliorem suam conditionem facere potest*, l. *non fraudantur*. ff. de R. J., ideoque pars innocens injuste resilientem tenere potest obligatam. *Reiffenst.* de spons. n. 210. cum *Comm.*

1146. Porro potest quis vel *expresse* vel *tacite* recedere a sponsalibus. *Expresse*, quando quis manifestis verbis dicit, nolle se fidem sponsalium servare: *tacite* vero, quando quis ita se gerit, ut ipso facto recusare sponsalia merito censeatur, id quod fieri amat variis modis. *Primo*, quando sponsus absque licentia sponsae in aliam terram domicilium mutaturus se confert, animo non amplius redeundi, solvuntur sponsalia ex parte sponsae. Ita *Communis* ex c. *de illis*, de spons. et matrim., ubi etiam de juratis sponsalibus fit mentio. *Ratio* est, tum quia taliter discedens merito censeatur renunciare juri suo, tum quia sponsa sponsum vel vagum, vel alio commigrantem sequi non tenetur, nisi id expresse promiserit, cum se non obligare censeatur ad talem eventum.

1147. *Secundo*, etiam tunc solvuntur sponsalia, quando sponsus non quidem cum animo emanendi, sed tamen sine spe brevi redeundi, in aliam terram discedit, tum quia aequum non est, quod sponsa tam longum atque incertum expectare teneatur reditum cum periculo propriae incontinentiae, vel amittendi alias commodas nuptias, praesertim cum ad id, ut supponitur, sed non obligarit. *Reiffenst.* l. c. n. 213. cum *Sanch.*, *Palao*, *Barbosa*. De absentia alterutrius sponsi plura in §. seq.

1148. *Tertio*, per *nimiam dilationem*, ita quidem, ut si terminus praefixus fuerit ad finiendam obligationem, v. g. *nisi nuptiae usque ad pascha proximum celebrentur, resilire liceat*, tunc manifestum est, post tempus elapsum cessare obligationem. Si vero terminus statutus sit non ad finiendam, sed ad exequendam, et non differendam obligationem, ita ut dilator deinceps censeatur esse in mora culpabili, tunc post elapsum tempus statutum, pars quae parata est ad celebrandas nuptias, postea ob culpabilem alterius moram juste resilire poterit, ut colligitur ex c. *Sicut* 22. de spons. et matrim. Altera autem pars moram culpabilem trahens, adhuc obligata manet, si alteri contrahere libeat; in tali enim contractu duplex est obligatio, 1. nuptias celebrandi, 2. eas praefixo tempore celebrandi. Unde licet haec secunda obligatio violetur, et ob eam violationem justa praebeatur causa alteri parti resiliendi; manet tamen prior



obligatio principalis, scil. nuptias celebrandi, siquidem altera pars adhuc velit. *Laym.* l. 5. t. 10. c. 2. n. 17.

1149. Denique si nullus terminus nuptiis celebrandis praefixus fuerit, obligatio est contrahendi illo tempore, quo altera pars *rationabiliter* exigit: alias culpabiliter et sine justa causa nolendo contrahere peccat, et censeri potest resilire, ut et altera pars possit resilire: si vero ex justa causa se nunc impeditam excuset, tenetur altera aliquo adhuc tempore expectare. *At quamdiu?* R. Id arbitrio prudentis est determinandum tum ex necessitate illius, qui differt, tum ex damno, molestia, periculo incontinentiae partis expectantis. *Sporer* l. c. n. 289. Hinc, quando subest periculum peccandi, monendi sunt a Confessariis et Parochis, ut non diu differant matrimonium, nec permittenda frequentiora conventicula. Praeterea *Trid.* sess. 24. c. 1. in decreto de reform. matrim. expresse ita statuit: *Conjuges ante benedictionem sacerdotalem in templo suscipiendam in eadem domo non cohabitent.*

1150. *Princip.* IV. Sponsalia etiam dissolvuntur *per notabilem mutationem ex parte unius, vel utriusque sponsorum.* Ac primo quidem per mutationem *sacram*, scil. per *professionem religionis approbatae*; quia per talem professionem solvuntur sponsalia de praesenti, ut patet ex c. *Ex publico* 7. de convers. conjug. Ergo multo magis solvuntur sponsalia de futuro.

1151. Per solum ingressum in religionem approbatam, professione non secuta, non solvuntur sponsalia, sed suspenditur obligatio ex parte ingredientis; ex parte vero remanentis in saeculo tollitur obligatio, ita ut ante egressum sponsi illico valeat alteri nubere, si velit; si vero egressientem expectare, et adhuc ducere velit, egrediens tenebitur illam ducere. *Ratio* primi est, quia ingressus in religionem nec ex natura sua (novitius enim potest iterum egredi, et nuptias celebrare) nec ex jure positivo solvit sponsalia, quia nullum potest allegari; juris enim dispositio concessa est in favorem professionis, quae cum sit odiosa (vergit enim in praesudicium sponsae) extendi non debet ad solum ingressum. Ita *Navar.*, *Sylvest.*, *Laym.* l. c. n. 3. contra *Sanchez*, qui l. 1. d. 42. n. 4. affirmat, etiam ex parte ingredientis solvi sponsalia, saltem si bona fide ingrediatur, scil. animo non egrediendi, nec in speciale damnum sponsae. *Ratio* secundi est, tum quia hoc ipso, quod quis ingrediatur religionem, censetur animum mutasse, ac juri suo renuntiassse: ergo hoc ipso, quod pars remanens in saeculo etiam velit non amplius obligari, mutuo consensu sponsalia dissolvuntur; tum quia nulla pars praesumitur in contractu sponsalicio se obligare ad expectandum, donec finiatur novitiatus. Ita *Laym.* l. c. *Reiffenst.* hic n. 226. et communis contra *Durandum*, *Armillam*, et alios.

1152. Porro mutationes notabiles, et sufficientes ad sponsalia partim ex una, partim ex utraque parte dissolvenda censentur sequentes. *Primo*, si supervenit impedimentum dirimens matrimonii, v. g. per affinitatem, si sponsus ante nuptias fornicetur cum matre, aut sorore sponsae suae. Item per susceptos sacros Ordines etc. *Secundo*, fornicatio unius ex sponsis, aut alia notabilis impudicitia dirimit sponsalia ex parte innocentis, ut recedere possit, si velit: si nolit, pars nocens manet obligata, ne ex iniquitate lucrum reportet, ut patet ex c. *quemadmodum*. 25. de jure jur. Vide dicta de sponsalibus secundis n. 1121. ... *Tertio*, per fornicationem spirituales. Sic juste resilit sponsa, si experiatur sponsum post sponsalia a fide defecisse, sive in haeresim incidisse. *Quarto*, si quis ex sponsis gravi infamia, v. g. ex furto commisso incipiat laborare.

*Quinto*, si superveniat magna infirmitas, aut deformitas, mutilatio, paupertas, graves inimicitiae, defectus promissae dotis etc. Item si quid horum latuerit, et postea detegatur. Ex his *Sporer* l. c. n. 279. cum *Laym.* et *Tambur.* tradit sequentem regulam generalem: *Quoties post contracta sponsalia superaccidit aliquid, quod eorum executionem, scil. matrimonii contractum et usum reddit notabiliter difficiliorem, quodque si initio fuisset, cordatum hominem similis conditionis merito ab illis sponsalibus absterruisset, toties cessat obligatio illius, ut etiam nolente altera parte resilire juste possit.* Ratio est, quia intentio spondentis non praesumitur ad talem mutationem, quae quemvis hominem potuisset avertere a contractu sponsalicio, se extendisse.

„Modi quibus dissolvi possunt sponsalia, hisce versibus complectuntur:

„Dissensus, crimen, fuga, tempus et ordo: secundo,

„Morbus, et affinis, vox publica cumque reclamat.

„Vid. Theol. Eccl. P. Cartier.“

### §. III. Resolvuntur Casus.

#### CASUS I.

*Pancratius contrahit sponsalia de futuro cum Cordula; deinde init sponsalia de praesenti sive matrimonium ratum cum Ursula, quae tamen in primo puerperio statim post nuptias moritur (fuerat autem ante novem menses impraegnata a Cajo, et nunquam cognita carnaliter a Pancratio). Pancratius post mortem conjugis anxius haeret, an adhuc obligetur vi primorum sponsalium ducere Cordulam adhuc paratam ad nubendum.*

1153. Q. I. Quid ad hunc casum dicendum sit? R. Imprimis si duae istae sponsae non sint sorores, obligant Pancratium sponsalia secunda sive de praesenti, ut patet ex c. 1. de sponsa duorum, ex c. 22. et 31. de sponsal., quia vinculum matrimonii fortius est: si vero sponsa secunda sit soror primae, matrimonium illud est invalidum propter impedimentum publicae honestatis ortum ex primis sponsalibus.

1154. *Si dicas:* etiam ex matrimonio rato, licet invalido oritur impedimentum publ. hon., modo non sit invalidum ex parte consensus; ut dicetur de impedimentis: ergo nec primam nec secundam sororem potest ducere. R. Explico anteced. Etiam ex matrimonio rato invalido oritur impedimentum publ. hon. *agens retro*, sive dissolvens praecedentia sponsalia N.; *non agens retro*, h. e. tantum dirimens sponsalia subsequencia C. Aliud est de affinitate vera et carnali, quae agit retro et dirimit sponsalia praecedentia, sive affinitas illa oriatur ex fornicatione, sive ex matrimonio consummato. Vide c. unic. de sponsal. in 6.

1155. Q. II. An per sponsalia de praesenti cum Ursula penitus solvantur sponsalia de futuro cum Cordula? R. Eatenus solvuntur, quatenus Cordula sponsa prima, dum inaudit, quod sponsus suus contraxerit matrimonium cum alia, liberrime possit alteri nubere; sic enim mutuo consensu censentur sponsalia ista dissolvi. Ex supposito autem, quod prima sponsa velit expectare mortem Ursulae, et non obstat aliud impedimentum, an tunc Pancratius adhuc ducere teneatur Cordulam, utrinque defenditur a TT. Probabilius videtur dicendum, quod prima sponsalia de futuro non penitus solvantur, sed suspendantur, ideoque juxta hanc sententiam Pancratius post mortem conjugis adhuc tenetur ducere Cordulam. *Ratio* est, quia matrimonium superveniens neque ex natura rei, neque ex jure positivo extinguit priorem sponsalium obligationem ex parte injuste resipientis Pancratii. *Confirm.* 1. Matrimonium non est impedimentum



perpetuum satisfaciendi obligationi per prima sponsalia contractae: ergo ex natura sua non penitus illam extinguit: ergo cum nulla lex istam obligationem penitus extinguens possit assignari, illa manet suspensa, donec impedimentum sit sublatum. *Confirm.* 2. Per matrimonium superveniens non extinguitur votum perpetuae castitatis ante contractum matrimonium libere emissum, sed tantum suspenditur; ergo nec sponsalia extinguuntur. Ita plurimi cum *Palao* de sponsal. d. 1. 21. n. 4., *Adriano Ledesma*, *Coninck*, *Franc. Schmier* l. 4. t. 1. c. 5. sect. 1. §. 2. n. 21. et seq., *Sporer*, *Kugler*, et aliis contra *Sanch.*, *Laym.* l. 5. t. 10. c. 2. n. 22., *Bonac.* et alios.

## CASUS II.

*Paulus, postquam contraxit sponsalia cum Paulina, emittit votum suscipiendi sacros ordines, et si forte non admittendus sit ad eos ex defectu tituli, addit expressum votum perpetuae castitatis, putans jam duplici titulo esse dissoluta sponsalia.*

1156. Q. I. An Paulus tam in foro interno, quam externo liber censi debeat ab obligatione sponsalitia propter votum simplex castitatis post sponsalia emissum? R. Probabilius nec in foro interno, nec externo liber censi debet. *Ratio* est, quia utrumque votum est in praejudicium sponsae, et neutrum est privilegiatum (prout est sola professio religionis): ergo neutrum est de objecto licito et honesto, ac proinde neutrum acceptatur a Deo, in quantum est contra jus tertii: sicut si quis centum florenos, quos homini jam promisit, vel ex justitia debet, vellet postea promittere Deo, aut templo transcribere. *Confirm.* 1. Juxta *Suar.* generaliter votum non facit rem licitam, sed praesupponit eam esse licitam; atqui post sponsalia non est sponso licitum sine consensu sponsae vivere in coelibatu, aut sacris ordinibus; ergo nec ei hoc licitum fieri potest per votum coelibatus, aut per votum suscipiendi sacros ordines. *Confirm.* 2. ex c. *Veniens*. 5. qui Clerici vel voventes; ubi mulier post sponsalia votum continentiae emiserat, ne sponso suo (de cujus severitate plura audierat) nubere cogeretur: sponso de voto certior factus aliam sibi copulavit; sponsa vero postmodum a voto liberari petebat. Respondit *Alex. III.*, ut ei de fide mentita et voto violato congrua satisfactio injungatur: ergo judicavit Pontifex, per illud votum sponsalia non fuisse dissoluta, alias non jussisset injungi poenitentiam etiam propter fidem sponsalium violatam. Ita *Suar.* t. 3. de Relig. l. 9. c. 17. n. 12., *Sanch.*, *Laym.* l. 5. t. 10. c. 1. n. 6. *Engel*, *Wiestner* et alii contra *S. Thom.*, *Cajet.*, *Sotum*, *Henriq.* et alios graves AA. Cum quibus

1157. *Si dicas* I. Sponsalibus tacita conditio inesse censetur, nisi statum perfectiorem continentiae amplecti voluero. Atqui per votum castitatis sponso amplectitur statum perfectiorem. R. N. M. Haec conditio nec inest ex natura rei contractui sponsalitia: alias in quacumque promissione homini facta similis conditio includeretur. Item homo non tenetur ad id semper, quod est perfectius; ergo sicut potest eligere minus perfectum, ita etiam ad illud potest se obligare tertio, uti contingit in sponsalibus. Nec potest praesumi ex mutuo contrahentium consensu, quia hoc gratis asseritur; nec inest ex jure positivo, cum tale nullibi extet: ergo. Alii transmissa majore distinguunt min.: Status castitatis est perfectior absolute comparatus cum matrimonio C. m. Comparatus cum circumstantia injuriae tertii N. Deinde coelibatus proprie non est status.

1158. *Si dicas* II. In sponsalibus, imo et in matrimonio rato intelligitur conditio, nisi statum Religiosum elegero: ergo a pari. R. D. A. Intelligitur ex claro jure c. *Verum* 2., c. *Ex publico*. 7. de convers. conjug.

et ex *Trid.* sess. 24. de matrim. can. 6. C. Intelligitur ex natura rei N. Simile non affirmat jus de voto simplici castitatis.

*Inst.* juxta c. *pervenit*. 3. de jurejur. *Promissum non infringit, qui in melius illud commutat.* R. Explico: qui in melius commutat sine injuria tertii, vel quando id fit cum consensu promissarii, vel quando melius datur eidem promissario, cui debebatur minus bonum C.; si fiat cum injuria tertii, sine consensu promissarii, vel alteri promissario N. Jus loquitur de commutatione voti in melius, quae fit eidem promissario scil. Deo.

1159. Q. II. An votum Pauli simpliciter debeat censi invalidum? R. cum *Sporer* hic n. 259. Valet et acceptatur a Deo, in quantum respicit voventem, ideoque si Paulina resiliat (uti potest juste resilire, quia certior facta de voto a Paulo emisso, merito censet eum renuntiasse sponsalibus) hoc casu votum a Paulo servari debet. 2. Si adhuc matrimonium contrahat vel cum prima sponsa, vel cum alia, reddere quidem tenebitur debitum, petere autem illud non poterit, donec dispensationem impetraverit. 3. Dissoluto matrimonio per mortem conjugis rursus suum votum integre servare debet. Denique servandum est ab eo votum in iis omnibus, in quibus sine injuria conjugis servari potest.

1160. Porro *resolves* I. Quamvis ex dictis regulariter illicite agat, qui post inita sponsalia vovet castitatem, quia agit contra jus tertii; nihilominus juxta *Laymann* l. c. n. 7. ob probabilitatem sententiae contrariae per accidens in foro conscientiae excusabitur a peccato, si bona fide, et sincero animo amplectendi statum perfectiorem continentiae resilierit, paratus tamen sit ad contrahendum matrimonium, si compellatur a iudice. Illud vero, qui non ex sincero animo, sed ex odio sponsae et in fraudem eligit continentiae votum, nequidem adversarii in conscientia tutum esse affirmant, ut fatetur *Tamburinus*.

1161. II. Per se loquendo, licitum est sponso vel sponsae post contracta sponsalia emittere votum ingrediendi ac profitendi religionem: cum enim uterque sponso licite possit profiteri religionem, etiam licite poterit professionem vovere. Dixi, *per se, sive secluso damno alterius* sponsorum, v. g. si sponsa gravem infamiam passura sit, si spe matrimonii jam impregnata sit etc. Vide dicta n. 1152. Si *quaeras*, an per tale votum solvantur sponsalia? R. Ad hunc effectum solvantur, ut sponso libere possit ingredi Religionem, sponsa autem post acceptam notitiam hujus voti matrimonium cum alio possit inire. Si vero sponso vel libere vel coacte ante professionem egrediatur e Religione, nec alibi velit profiteri, et sponsa ei adhuc fidelis perstiterit, probabilius vi sponsalium adhuc tenetur illam ducere, ut diximus supra n. 1151., quia quod a jure professioni adjudicatur dissolutio sponsalium et matrimonii rati, hoc ipso non adjudicatur voto profitendi. Ita *Palao.*, *Tamb.* hic l. 7. n. 7. et alii contra *Laym.*, *Gobat* et alios.

1162. III. Quod susceptio ordinis sacri dissolvat sponsalia actu contracta, probabilius defendunt *Sanch.* l. 1. d. 47., *Perez*, *Tamb.* contra *Paludanum* et alios. *Ratio* est, quia illud impedimentum, quod facit, ut inter personas impeditas absolute nequeat consistere matrimonium, etiam facit, ut obligatio ex praecedentibus sponsalibus orta totaliter cesset: atqui susceptio ordinis sacri est tale impedimentum, ut constat ex *Trid.* sess. 24. can. 9.: ergo.

1163. IV. Sponsalia absoluta, quae quis post votum perpetuae castitatis, vel suscipiendi sacros ordines, vel non nubendi, vel ingrediendi religionem contrahit, sunt invalida, quia sunt de re illicita, scil. de matrimo-